



De Iustitia Et Iure ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

4 Vtrum caupo peccet, si die iejunij cœnam apponat, aut cibos vetitos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](#)

à suo Parocho , quem putat peccatum , &c.

²¹ Nihilominus dicendum est , non posse talem
seriò & absoluè inuitari ut tecum cœneret ; nec in
mena vrgeri ut comedatur . Ratio est , Quia nemo
potest inuitari aut incitari ad id quod sine peccato
præstare non potest : atqui hic non potest sine pec-
cato comedere , vt supponitur .

^{Adratis-}
^{nes.} Vnde pater responso ad Primum , Quia et si
cœnare in genere fit actus per se indifferens , non
tamen est indifferens ut hic & nunc à tali agitur ,
sed malus .

Ad Secundum : Deus numquam inuitat ad ali-
quid quod sine peccato fieri nequit , ne vt ens qui-
dem est : nec ad illud iuuat , nisi auxilio generali , &
per se indifferente , ut alibi fuisse ostēnum est .

Ad Tertium : Licitum est quidem gaudere de occi-
sione Christi , sub illa ratione ; non tamen licitum
fuit ad illam in citare aut inuitare Iudeos : gaudium
enim potest esse de bono præcisè & per se confide-
rato , absque approbatione causa vel circumstan-
tia præiae : non autem incitatio & inuitatio .

Ad Quartum : Id quod ibi petitur , sine peccato
præstari potest . Idem dicendum de elocatione
domus facta meretrici , & aliis quæ ibi ad-
fert Nauarrus .

D V B I T A T I O I V .

Vtrum caupo peccet , si die ieunij cœnam
apponat , aut cibos veritos .

Res est frequentissima per Germaniam & in
locis hæreticorum .

²² Apponere
cibos veri-
tos.

R Espondeo , Quod ad cibos veritos attinet , in
locis Catholicorum eos apponere , præfertim
carnes , est graue peccatum ; & graueri punirentur
si qui id facerent , quia ibi cœnatur hæreticos
quadam tacita professo , nisi forte in casu aliquo
particulari ratione evidentis necessitatis , vel si ni-
hil aliud suppeteret , vel si aliquis hospitum , qui
videtur fide dignus , diceret id sibi à Superioribus
indultum .

²³ In locis vero hæreticorum , vbi passim ab aliis
solent apponi , credo id esse licitum caponi Ca-
tholicos ; politis tamen duabus conditionibus . Pri-
ma , Si hospites petant : non enim ingeri possunt
non potentibus ; hoc enim esset illos ad illicitam
inuitare . nisi forte simul apponat carnes & pīces ,
vt plerique illis locis , maximè Catholici faciunt ,
vt virtue parti faciant satis , quemque suæ con-
scientiae relinquentes .

Secunda , Si non potest recusare sine suo nota-
bili incommodo : vt si alioquin ab hospitibus effet
deserendus , vel aliquid incommodi passurus à
Magistratu . Ratio est , Quia id per se malum non
est , sed quiddam indifferens : ergo supposita legi-
tima causa , fieri potest sine peccato . Hac enim facit
vt non cœnatur esse professio hæretos , aut co-
operatio ad malum . Confirmatur , Qui hac ratione
excusantur à DD. ancillæ dominorum hæretico-
rum , qua diebus ieuniiorum carnes coquunt , &
cœnam apponunt ; quia id sine notabili incommo-
do suo non possunt detrectare ; & auriga vehens
dominam suam ad locum adulterij ; & Naaman
Syrus comitans dominum suum ad locum idoli ,
cumque in adoratione sustentans & veluti iuuans ;
de quo alibi dictum est . et si enim hæc & similia

speciem mali habeant , & reuerâ mala sint , quando
commodè virari possunt ; quia cœnatur fieri affec-
tu cooperationis ad malum : tamen quando abs-
que notabili incommodo non possunt detrectari ,
non sunt mala ; non enim tunc cœnatur fieri cau-
sâ cooperationis , sed vitandi incommodi , & in-
voluntariæ . Huc pertinent rationes , quas congerit
Nauarr . cap . 21 . num . 25 . vide supra lib . 2 . cap . 13 .
num . 29 . & seq . & cap . 9 . num . 122 .

De cœna apponenda est distinguendum ; vel
enim conflat istos non teneri ad ieunium , vel ²⁴ Cœnam
constat teneri , vel est dubium . Si primum , potest
eis cœna dari , modò scandalum absit ; quod vbi-
que exceptum volo . Si secundum , non potest , si
tamen ab' que incommodo possit negari . hoc fu-
fissimè probat Gabriel in 4. dist . 16 . q . 3 . dub . 6 . &
ratio est , quia tenetur impeditre offenſionem Dei ,
& lapsum proximorum , quantum commodè po-
test : atqui in hoc casu non solum non impedit , sed
etiam cooperatur , præbens illis instrumentum
peccandi , quod facile potuerit negare . hoc tamen
maxime locum habet quando illi alibi habere non
possunt ; si enim alio ituri , & ibi cœnaturi erant ,
non est necesse recusare ; quia peccatum non po-
tent sic impeditri ; iuxta ea , quæ scribit Nauarrus
cap . 21 . num . 24 . & Cajetanus q . 147 . art . 4 . Idem
dicendum si grauius offendunt essent Deum mur-
murando , coniurando , maledicendo , cœnâ nega-
tâ . quo modo excusantur interdum patres fami-
lias , familis & domesticis cœnam permittentes ,
vt Gabriel notat .

Si tertium ; vel decorè possunt interrogari an
excusentur a iejunio , vel non possunt . Si possunt ,
sunt interrogandi , & iuxta quod responderint , fa-
ciendum . Si non possunt , propter auctoritatem ,
præsumendum excusari . Ratio est , Quia in dubio
nemo præsumitur velle peccare , L. Merit . π . Pro
socio , & dubia in meliorem partem sunt interpre-
tanda : de quo sup . lib . 2 . cap . 29 . dub . 4 .

D V B I T A T I O V .

Quo Iure obligemur ieunare , & quanta
sit hac obligatio .

D. Thomas quesit . 47 . art . 3 .

S Vnt tres sententia . Prima est hæreticorum no-
strí temporis , qui docent , fideles nullo Iure ad ²⁵ 1. Senten-
ieunia adstringi , sed omnia esse libera . Ratio ipso-
ria est ha-
rum est , quia obligatio ieuniorum pertinet ad iu-
gum & seruitutem legis veteris , à qua per Chri-
stum liberati sumus ; cui Ecclesia non potest nos
rursus subiungere . Vnde inferunt eslè superstitio-
nem , si veluti ex obligatione ieunes ; quia id est
professio quedam seruitutis legalis . Ita Caluinus
lib . 4 . Instr . c . 12 . & Confessio Augustana art . 26 .
Idem ob eandem rationem docuit olim Aërius ,
vt referunt S. Epiphanius hærel . 75 . & S. Augusti-
nus lib . de Hæref . cap . 53 .

Sed hæc sententia est aperta hæresis , olim à Pa-
tribus in Aërio damnata , quam etiam consensus & Refutatur .
vñs omnium sæculorum iam inde à temporibus
Apostolorum refutat ; nam ab eo tempore semper
in Ecclesia multa ieunia ut obligatoria seruata
fuere , non ad satisfaciendum præcepto legis ve-
teris (nusquam enim in lege veteri quadragesimale
ieunium , aut vigiliarum præceptum fuit) sed